

Commentar. in Aristot. Logicam, in specie in I. Prior. XXI.
pag. 138.

XXXVII. Quin imò Syllogismus ἀδύνατος & repu-
gnans concludens in ostensivum potest mutari, per quem
iisdem terminis retentis δευτικῶς concludatur, quod indire-
ctè & ἐξ ὑποθέσεως erat probatum. Etenim si sit Syllogismus,
quem §. XXVII. exhibuimus:

O. substantia Deum habet autorem.

Peccatum originis est substantia.

E. Peccatum originis Deum habet autorem.

Conclusio infertur falsa, propter falsam Minorem, cujus pro-
inde contradictoriam veram esse oportet. Quòd si igitur
conclusionis falsæ contradictoria, quæ vera omninò erit, assu-
matur, ea Majori juncta δευτικῶς inferet Minoris contradicto-
riam, eamque veram, h. m.

O. substantia Deum habet autorem.

Peccatum originis non habet Deum autorem.

E. Peccatum originis non est substantia.

Atque ita per eosdem terminos δευτικῶς est conclusum, quod
κατὰ τὸ ἀδύνατον antea erat probatum.

XXXIIX. Idem fit circa secundam figuram. Sit e-
nim Syllogismus ἀδύνατος concludens:

N. evanescens est stella.

O. cometa est stella.

E. N. cometa evanescit.

Conclusio falsa est propter Minorem propositionem falsam; at
si conclusionis contradictoria Majori jungatur, δευτικῶς in-
fert Minoris contradictoriam, quam veram esse Syllogismò
ad impossibile ducente evincere volebamus. Atq; propositio-
num combinatio fiet in prima figura h. m.

N. evanescens est stella.

Q. cometa evanescit.

E. Q. cometa non est stella.

XXXIX.